Basel, 7. VIII. 16 Boots.

doctor rigidus fuit adiunctus qui eo diligentius
et strictius sibi providerat quia sperabat ipsum
fieri episcopum civitatis eiusdem si peritus efficeretur
Hic doctor una dierum dedit sibi formam quandam
metrificandi versus dicens ei et minans si eandem
formam debite non metrificaret quod ab eo perci-
teretur usque ad sanguinis effusionem. Hermannus
contractus doctorem timuit et a verbis eius valde
perterritus est et tristatus et ivit sive fugit retro
altare sancte afre in civitate dicta. Implorans
ibi eius patrocinium et iuvamen amare flendo
tandem ipse obdormivit et apparuit ei in sompno
beata afra que ait sibi elige ex duobus unum
Vel fieri melior clericus et claudus semper in dei
timore. vel fieri episcopus augustensis in multa
mundana dignitate constitutus quod postquam
audivit elegit fieri melior clericus et claudus
etc. ut dictum est et negavit fieri episcopus
augustensis. qui postquam evigilavit et sompnum
preteriit optimus clericus factus est multis
scientiis resplendens nec non postea pulcherri-
ma dictamina et carmina edidit ad honorem
dei et matris sue et aliorum sanctorum
dei Quod non post multum temporis fama de eo
exiit magna et a multis cupiebatur audiri
et videri Unde factum est quod quodam tempore
pro eo misit episcopus Coloniensis qui delectabatur
ab eo audire metra et cantica qui dum ad eum
pergeret audivit varium sonum per fluctus
aquarum remi in rotis molendinarum